Quelle: http://manuscripta.at/?ID=42092
Copyright: Bozen/Bolzano, Museumsverein (Depot im Stadtmuseum)



Et factum est ut audiuit salutacionem Marie Elizabeth
exultauit infans in utero eius · et repleta est spiritu sancto
Elizabeth · Et clamauit voce magna et dixit · Benedicta
tu inter mulieres · et benedictus fructus ventris tui · Et
unde hoc mihi hoc ut veniat mater domini mei ad me · Ecce
enim ut facta est uox salutacionis tue in auribus
meis · exultauit in gaudio infans in utero meo ·
Et beata que credidisti · quoniam perficientur in te quecumque dicta sunt tibi
a domino · Et ait Maria · Magnificat anima mea dominum
Et exultauit spiritus meus in deo salutari meo · Quia re-
spexit humilitatem ancille sue ecce enim ex hoc beatam
me dicent omnes generacones · Quia fecit mihi
magna qui potens est · et sanctum nomen eius · Et misericor-
dia eius a progenie in progenies timentibus eum · Fecit
potenciam in brachio suo · dispersit superbos mente cordis
sui · Deposuit potentes de sede · et exaltauit humiles ·
Esurientes implenit bonis · et diuites dimisit inanes ·
Suscepit israel puerum suum · recordatus misericordie sue · Sicut
locutus est ad patres nostros abraham et semini eius in
secula · Mansit autem Maria cum illa quasi mensi-
bus tribus · et reuersa est in domum suam · Credo dominum Offertorium
Filie regum Secreta Omnipotens sempiterne deus · qui cuncta
creatura in te fidentibus semper habes · propitiare quesumus · ut per ob-
lationem quam tibi offerimus · visitacionem specialem beate
virginis Marie in nostris necessitatibus sentiamus · Per eum
Prefacio Et te in visitacione · Post Sancta uiscera Marie Postcomunio
Omnipotens sempiterne deus · qui memoriam visitacionis
beate Marie matris dei fieri voluisti · propitiare quesumus · ut per hoc
sacrificium quod sumpsimus · alteius visitacionis gratiam nulla
tenus eredamur · Per eundem dominum nostrum